



## **Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia**

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis  
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium  
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum  
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed  
Theologis ...

**Drexel, Jeremias**

**Antverpiæ, 1643**

15. Mors nativitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

## §. 13. Omnis vita lacryma.

Serm. de Pa-  
sionia.  
Homo cũ  
nascitur, la-  
crymatur.

**V**nusquisque nostrum, inquit Cyprianus, cum na-  
scitur, & hospitio mundi huius excipitur, initium ju-  
mit à lacrymis. Quis de se dixerit:

Vt lacrymis cepi, lacrymis ita finio vitam;  
Totum panem meum vivere, flere fuit.

Sic omnes vitam ordimur, sic claudimus omnes.

Ad sletum sientes nascimur, & morimur.

Naufraga nos istis tempestas mergit in undis.

Quisque suis meris sic sepelitur aquis.

Ille unus felix, qui sletum iam egerit omnem.

Ne lacrymas stillet post sua fata novae.

Serarius in  
rebus Mo-  
gunt. mibi  
pag. 942.  
Daniel  
97. Episc.  
57. Archiep.  
41. Elector  
Mogunt.

Vis totius humanæ vitæ summam & epitomen? Da-  
niel Archiepiscopus & Imperii Romani Elector Mo-  
guntinus, in precum libello, suâ manu hæc vivendi  
monita scripsit:

- |                        |                              |
|------------------------|------------------------------|
| 1. Vita brevis.        | 6. Victoria anceps.          |
| 2. Forma decipiens.    | 7. Concordia fallax.         |
| 3. Pecunia fluxa.      | 8. Senectus misera.          |
| 4. Imperium invisum.   | 9. Mors felicitas.           |
| 5. Bellum permiciosum. | 10. Sapientia sæva perennis. |

Illius utique cælestis sapientia, quæ regna donat, num-  
quam desitura, nemini expugnanda, æterna.

## §. 14. Lacrymas solatur Deus.

Pf. 90. v. 15  
Pf. 33. v. 19.

Tom 8. in  
Psalm. 90.  
ante finem.  
Deus cer-  
tantiem in  
agone non  
spectat ut  
populus  
aurigam:

Sed adju-  
vat.  
Pf. 93. v. 18.  
Aug. supra.

Cur tres  
pueri ab  
igne, Ma-  
chabæi ve-  
ro non ere-  
pti.

\* Idem in  
Psalm. 33.  
conc. 2. post  
med.  
Apoc. c. 21.  
v. 4.

In Pf. 127.  
circa med.

**A**gnosce vocem consolatoris simul & promissoris:  
Cum ipso sum in tribulatione, & ipsam eam, & glori-  
ficio eum. Et verè, iuxta est Dominus is qui tribulatio sunt  
corde, & humiles spiritu salvabit. De his promissis lucu-  
lenter Augustinus, Noli timere, inquit, quando tribularis,  
ne quasi non tecum Deus sit: iuxta est Dominus his qui tribu-  
lato sunt corde. Adjuvat certamen (considera) qui certa-  
men indixit. Non te sic spectat Deus in agone certan-  
tem, ut populus aurigam; clamare enim novit, adjuva-  
re non novit: coronæ veniam parare potest, vires sub-  
ministrare non potest. Homo enim, non Deus est: &  
fortè dum spectat, plus laborat sedendo, quàm ille lu-  
ctando. Deus quando spectat certatores suos, adjuvat  
eos invocantes: nam vox athletæ ipse est in Psalmis: Si  
dicebam, Motus est pes meus, misericordia tua adjuvabat me.  
Cum ergo turbari coperis, erige fidem tuam, & noveris, quia  
te non deserit. Sed ideo putas te deserti, quia non quando vis,  
eripit. Eripuit tres pueros de igne; Qui eripuit tres pueros, de-  
seruit Machabæos? absit. Et illos eripuit, & istos: illos corpo-  
raliter, ut infideles confunderentur: istos spiritaliter, ut fide-  
les imitarentur. Iuxta \* est Dominus is qui tribulatio sunt cor-  
de, & humiles spiritu salvabit. Altus est Deus, humilis est  
Christianus. Si vult ut altus Deus vicinetur illi, ille hu-  
milis sit. Magna mysteria, fratres: Deus super omnia est. Eri-  
gis te? non illum tangis. Humilis te? ipse ad te descendit.  
Hunc ergo fidissimum adiutorem in vota voca, aderit-  
que vocatus, gemitu etiam unico; modò serio Absterget  
Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit,  
neque luctus, neque clamor, neque dolor est: ultra, quia prima  
abierunt. Verissimè dixit idem Augustinus: Cum quantà  
suavitate plorat in gemitu qui orat! Dulciores sunt lacryma  
orantium, quàm gaudia theatrorum.

## §. 15. Mors nativitas.

Valer. Max.  
l. 3. c. 2. &  
l. 2. c. 6.

Herodotus  
l. 5. hist.  
Valer. l. 2.  
cap. 1.  
Quint. l. 5.  
in ist.

**N**on finis (ait moriturus Thebanus) vitæ mee, sed au-  
ctus initium & melius advenit. Nunc enim, commilito-  
nes, vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur. Etenim  
quid accinet, aut humano dolori indulgeri, aut divino  
Numini invidiam fieri, quod immortalitatem suam no-  
biscum partiri voluerit.

Trauli gens Thracibus finitima, quæ cum Thracum  
moribus cetera quidem concordat, unum illud habet  
peculiare, quodd, edito infante, propinqui circumse-  
dentes cum ploratu commemorant, quantum calami-  
tatum illi sit perferendum, vitam ingressio. Contrà,  
defunctum hominem cum lusu lætitiæque efferunt, re-

**A** censentes quàm multis malis subductus sit. Sapientia  
laudem meritò sibi vendicaverit hæc natio, quæ natales  
hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebravit. Stobæus in  
Idem Causiani & Geta dicuntur fecisse, qui puerpe-  
ria luxerunt, funera plausu proscuti. Removeatur ita-  
que naturalis dulcedo vitæ, quæ multa & facere & pati  
turpiter cogit, & vitæ finis beatorum principio reperietur.  
Mors non timenda, ut malum, sed ut malorum finis,  
excienda. Sanè Plinius Secundus: Itaque, ait, multi ex-  
sistere, qui, non nasci optimum censerent, aut quàm ocys-  
sime aboleri. Ita Silenus, à Mida captus, rogatus est: quid  
esset homini optimum? Diu tacuit. Tandem ut diceret  
adactus, respondit: Optimum est numquam nasci, proxi-  
mum, quàm terrimè extingui.

**B** Illud non omiserim ter mirum, inaudicum, & nar-  
ratu jucundum. Ludovicus Cortusius Iureconsultus  
Patavinus, lamentationes & lacrymas testamento suis  
omnibus interdixit, voluitque adesse ad funus aulæ, cum  
citharædos, & omnis generis musicos, qui unum cum  
candidato clero funeris pompam partim præirent (nu-  
mero quinquaginta) partim sequerentur: singulis di-  
midium aureum dari præcepit. At feretrum portari  
jussit à duodecim innuptis puellis, quæ præfina aut vi-  
ridi veste indutæ, altâ voce cantarent, quidquid læti-  
tia suggereret. Harum virginum singulis certa pecunia  
dotis loco destinata. Ita sepulchrum est in templo S. So-  
phie Patavii, centum funalibus, dum efferretur, stipa-  
tus, præeunte omni Clero, & totius urbis monachis,  
iis tantum exclusis, qui nigri habitus essent, hos enim  
testamento à suo funere amovit, ne hilaritatem publi-  
cam atris cucullis funestarent. Atque hac ratione ex-  
quie in nuptias migrarunt. Obiit nuptialis hic homo,  
an. Christiano 1418. 17. Julii, die D. Alexii.

**C** Præclare dixit Bernardus: Illi mortuos suos lugeant, qui  
resurrectionem negant: illi sunt plorandi, qui post mortem à de-  
monibus sepeliuntur in inferno, non illi, qui ab Angelis collo-  
cantur in celo. Pretiosa mors Sanctorum, pretiosa pla-  
ne, tamquam finis laborum, tamquam victoriæ con-  
summatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ securitatis  
ingressio. Aperit Hebræus Sapiens: Melior est, inquit, dies  
mortis, die natiuitatis.

## §. 16. Vbi que mori.

**T**orqueant se miseri, quibus extingui quàm super-  
esse utilius est, trepido & anxio consilio, qua-  
nam ratione vitæ exant, quarentes: Ferrum acuant,  
venena conperant, laqueos apprehendant, vastas alti-  
tudines circumspiciant, tamquam magno apparatu aut  
exquisite molitione opus sit, ut corporis atque animi  
infirmo vinculo coherens societas dirimatur. Nihil  
horum Coma ille Diogenis frater, sed intra pectus in-  
clusa anima finem sui reperit. Enimverò minimo stu-  
dio retinendum bonum est, cuius caduca possessio tam  
levi afflatu violentie concussa dilabitur. Ubique mors  
est, omnibus locis, omnibûsque momentis insidiatur,  
quaqua venias, paratam invenies; nusquam non præ-  
sto est, occurrit undique.

**D** Cum verò una tantum mors uni homini sit oppe-  
tenda, quid est quod ante mortem illam ultimam, tot  
misellum hominem mortes iugulent, ut quis non im-  
merito quærat:

Gutula cum mihi sit vitæ tantum unica, cur me  
Mille necis species, funera mille premunt?  
Bernardum audi: Summa tibi sit philosophia, mortis me-  
ditatio assidua. Et ideo varia te mors vellicat. Quidquid vestat vitæ  
illis accidit, ait Bernardus, tibi accidere potest, quia homo idem in me-  
es. Homo de humo, limus de limo. De terra es, & de terra vi-  
vis, & in terram reverteris, quando venerit dies illa ultima,  
quæ subito venit, & forsitan hodie erit. Certum est quia mo-  
rieris, sed incertum quando, aut quomodo, vel ubi. Quoniam  
mors ubique te expectat: tu quoque, si sapiens fueris, ubique